



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica secunda

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

18 Dominica II. post Epiph. D.

dicens : *In simplicitate cordis querite illum.* Quid simplicius Mariâ? quid humilior Josephô? quid mirum, si invenerint.

Instructio meritoria.

Hac simplicitate ambulemus coram Domino. Ad omnia exercitia flectamus erectis manibus, flectamus & liberi, re-collecti, & quieti. In fine cujuslibet exercitii subjungamus *tria Ave* cum Cantico : *Nunc dimittis servum tuum, Domine ! secundum verbum tuum in pace.* Finis coronet opus.

Dominica II. post Epiphaniam.

EXHORTATIUNCULA I.

DEfuit hodiè vinum. Jam audio Jesu imperantis vocem : *Implete hydrias.* O quàm bonus est Dominus timentibus se, & animæ quærenti illum. Deest nemini in necessitatibus; & antequàm invocetur, dicit : *Ecce ! adsum.*

Instructio meritoria.

Pro acceptis omnibus & singulis beneficiis à primo instanti conceptionis nostræ

nostræ abundanter collatis oremus psal-
mum : *Benedic anima mea Domino, &
omnia, quæ intra me sunt, Nomini san-
cto Ejus.* Et nostras necessitates ulte-
riùs commendemus Jesu Dulcissimo
Cordi. Stat apertum : Et negligitur ?
quid hoc ?

II.

TRIBÛS Verbis patratum est hodie-
num miraculum : *Implete hy-
driam aquâ.* En ! Deus plùs delecta-
tur operibùs, quàm multiloquiis, & ver-
bis copiosis. Illa reddamus : His par-
camus

Instructio meritoria.

Diebùs collationum, ac jejuniorum
studeamus silentio, & vacemus soli
Deo, memores, quis veniat in crastino
SS. Altaris Sacramento ? Præ desiderio
ad mensam Angelicam per octo dies
quotidie semel visitemus sponsum Amo-
ris, illò alloquentes Psalmò : *Quemad-
modum cervus desiderat ad fontes aqua-
rum, ita &c.* Fili ! curramus ! Deus
expectat nos !

III. Vi-

III.

Vinum, quod apposuit homo, deficit; sufficit, quod affuderat Christus. O veritatem! deficiunt profectio, & evanescent gaudia, quæ cæcus propinat mundus. Cor enim satiare non possunt; solus Deus est, qui sufficit nobis.

Instructio meritoria.

Quòd & nobis sufficiat, probemus in omnibus refectionibus, & corporalibus solatiis, sub his sæpius mentem elevando, spiritualiterque communicando. Illis verò finitis, vel ad ecclesiam, vel ad cubiculum pergamus, & ibidem *Te Deum Laudamus* quàm devotissimè persolvamus, cum interrogatione: *Quid mihi est in cælo? aut quid volo super terram?*

Dominica III. post Epiphan.

EXHORTATIUNCULA I.

Munditiam diligit Deus. Vix leprosus petiit hodiernus; mox audiit: *Mundare.* Fili! quanto nobis in precio

CIO